



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

III. De effectibus Eucharistiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

haud de necessitate, sed de præcepto. In forma sanguinis; *Hic est sanguis meus*, vel *Hic Calix sanguinis mei*: cætera de præcepto tantum sunt.

C A P V T III.

De effectibus Eucharistiae.

9. *Formæ utriusque admirabiles effectus recenze.* In primis vi sua tanquam instrumenta Corpus & sanguinem Christi conficiunt, ita ut sub panis specie Christi corpus: sub vini autem speciebus Christi sanguis verè & substantialiter contineatur, panis ac vini nullatenus substantia remanente. Hæc præsentia Christi per veram conuerzionem substantiæ panis in Corpus, & substantiæ vini in sanguinem fit, ita ut non modò sub prædictis speciebus Christi corpus adducatur, & sanguis: verùm etiam ita intimè in substantiam Christi pertingat, vt sufficiens esset terminum producere, si iam productus non esset; quæ conuersio Transsubstantiatio dicitur. Deinde totam Christi substantiam præsentem efficiunt: humanitatem scilicet, quæ corpus, animam, & sanguinem eius amplectitur, & ipsam Verbi Diuinitatem. Præterea totam quantitatem, quam habet in cœlo; quæ tamen non per modum extensum in ordine ad locum, sed per modum tantum extensum in ordine ad totum, & partes in Sacramento reperitur. Ad hæc, ex vi verborum sub panis quidem specie Corpus est Christi, cætera per concomitantiam; sub vini autem specie sanguis tantum est, cætera concomitanter.

10. *Huiusc Sacramenti reliqua edisseras, precor, mysteria.* Ita in ordine ad species Christi præsentia se habet, ut totus Christus sub singulis specierum partibus diuisis sit, sub iisdem totus coniunctis. Profectò moueri Christi Corpori per accidens conuenit. Ab agentibus naturalibus alterari, neque per accidens conuenire affirmo, sicuti neque videri ab oculo corporeo; nec videre, aut audire seu alias actiones externorum sensuum exercere. Cùm desinit in Sacramento esse, aliqua ratione muratur accidentaliter, neque species deserit, nisi quando alia succedit substantia. Christus ipse non videtur in se, cùm in Eucharistia visibiliter appareat, nec eius caro, vel sanguis, sed color & figura tantum exterior, illum

828 *Moralis Theologiae Tract. VII. Sacra menta*,
illum repræsentans; ideo consumendus non est, sed deceni
loco conseruandus. Certè ipsæ species post consecrationem
absque substantia remanent, & cætera quidem accidentia ha-
rent in quantitate, quæ sine substantia miraculosè existit.
Agunt autem, & patiuntur ut antea, & miseri etiam queunt.
Denique in hoc Sacramento Christus interno, & externo cul-
tu Latriæ adorandus est, absoluto quidem, & perfecto, ac si
propria in specie viseretur.

11. *Quoniam Sacramentum ipsum in animam, gignit effectum?*
In primis auget gratiam iustificantem. 2. Sacramentalē
gratiam, ad vitanda peccata, charitatisque fero rem cum
speciali spiritus dulcedine confert. 3. Condonat venialia
tum immediatè ex opere operato, tum mediatè charitatis
excitando fœnum. 4. Temporalem pœnam non nisi mediatè
remittit excitando charitatem. 5. Primam gratiam ali quan-
do per accidens confert.

12. *Quoniam dispositio requiritur ad huiusmodi effectus n-
cipiendos?* Ut augmentum gratiæ quis recipiat, in gratia esse
debet; ut auxilia specialia, & fero rem charitatis, actuali gra-
tia, & attentione est opus; ut venialium remissionem obti-
neat, corum complacentia debet a fesse; ut pœna temporalis
condonetur, actualis requiritur deuotio; ut denique primam
gratiam per accidens obtineat, veram, & supernatura-
lem attritionem de peccato mortali obliito habeat necel-
sum est.

13. *Quandonam hi conferuntur effectus?* In ipsa sumptione,
in eoque temporis momento, quo verum sit dicere, aliquid
Sacramenti ex ore in stomachum esse traiectum.

14. *An placet illa opinio docens aliquam maiorem gratiam con-
ferri, quandiu species in stomacho manent?* Minimè; quia si de
gratia ex opere operato sermo sit, tota in instanti iuxta dis-
positionis mensuram confertur.

15. *In corpus autem quoniam effectus parit?* Primò, fomi-
tem moderatur, cogitationes & effectus ad eum finem ac-
commodatos excitando. 2. Gloriam resurrectionis imper-
tit, dum auxilium speciale confert, ad perseverandum in
gratia. 3. Specialis unio ratione eius fit inter Christum,
& suscipientem vi Sacramentalis unionis cum spirituali
coniunctæ.

CAP.